

Quum in superioribus Gymnasii Sundensis ordinibus veterum populorum Geographiam traderem, locorum, montium, fluminum et urbium conspectum quum Latinorum tum Graecorum nominum rectiores formas et prosodiam notis signatam exhibentem, scripturae in singulis nominibus, ut apud scriptores exstat, discrepantiae si non farragine, at delectu quodam addito, discipulis meis in manus dare constitui, ne aut calamo omnia et quidem vitiosissime, ut fit, excipere cogerentur, aut libro aliquo duce arctioribus systematis Geographici finibus circumscriberentur, neve descriptionibus vagis et longiusculis fortasse defatigati etymologicis erroribus et somniis caperentur. Sic praecptori maiorem fore potestatem ea tantum, quae ipse utilia iudicasset sibi e scriptoribus conquisivisset, liberiore quadam ratione discipulis proponendi, arbitratus sum. Hoc igitur consilio *Mannertum* et, qui eius vestigiis institit, *Sicklerum Viros* de Geographia meritissimos mea laude maiores, in adornando locorum et montium ordine, nisi ubi ob meliorem rationem, quam quidem *Krusius* in libro, qui *Hellas* inscribitur, adumbravit, ab eorum via deflectendum erat, duces mihi potissimum elegi, ad quos, quum in omnium manibus versarentur, docentibus facilius esset aditus. Nominum Geographicorum autem inte-